

esse debere, ac si nullum omnino
litteris, bonisque artibus, immineret
periculum, nec amittere tanta bo-
na, quae tam benigne Deus conces-
sit, iterum possemus. Iam, quod
ad illos attinet, qui nimum queru-
li, & in nostram aetatem paulo ini-
quiores nobis videntur, iuuabit, ea,
quae antea ex illorum mente com-
memorauimus, aequa ponderare
lance. Enim vero, si nostra rite
aestimemus tempora, litterarum
eam facile deprehendemus faciem,
vt, si vel maxime maioribus nostris
in quibusdam concedamus, in
plerisque iis nos anteponendi, iu-
stissimas habere causas videamur.
Eundo per praecipua scientiarum,
quibus eruditionis circulus absolui-
tur, genera, demonstrare possem,
doctorum virorum labore & indu-
stria